

nihil habet, quam libidinem novandi, sensum omnium pp., et totius ecclesiae opponimus, quae semper iudicavit, nomine *Asmodaei* aliquem daemonem in Scriptura denotari, ac septem illos viros a daemonio, et non ex morbo a *Sara* contracto fuisse occisos. Unde *Calmet* (1) sententiam *Grotii* refutans, recte ait: « Nullius esse momenti reputanda est quorundam recentiorum interpretum singularis opinio, qui nullo satis firmo ducti argumento, de historiae omnium tam iudaeorum, quam christianorum assensu probatae veritate dubitarunt. » Accedit, quod uxor iunioris *Tobiae* nullo, quantum scimus, corporis vitio laborarit, adeoque *Grotius* noxiam illam corporis *Sarae* affectionem prorsus gratis confinxit. Denique ex *Grotio*, eiusque sectatoribus quaero: An, aut quomodo angelus *Raphaël* noxiam illam affectionem corporis *Sarae* (2) in deserto superioris *Aegypti* religarit, siquidem *Asmodaeus* seu daemonium septem illos viros enecans nihil aliud (ut adversarii volunt) fuerit, quam aliqua noxia qualitas seu affectio corpus *Sarae* inficiens?

25. Ad 3 de cane *Tobiae* iam alibi (3) respondimus, et diximus, eiusmodi minutiora rei gestae adiuncta a scriptore expressa ad fidem historiae conciliandam, et ad alias utilitates multum conducere.

26. QUÆRES VIII. Quomodo *Tobias senior* de exustione templi hierosolymitani tanquam de re praeterita loqui potuerit (Tob. 14, v. 7): DOMUS DEI,

(1) In dissertatione de *Daemone Asmodaeo*, quae ante commentarium ipsius in 1. *Tobiae* posita est.

(2) Tob. c. 8, v. 3.

(3) Vide s. Scriptur. contra incredulos propugn., V. T., p. 3, n. 17 et 18, q. 17.

(4) Templum Salomonicum 53 annis post mortem senioris *Tobiae* exustum est. Nam teste *Calmeto* (in suo diction. bibl.

QUAE... INCENSA EST, REAEDIFICABITUR; cum tamen hoc diu post mortem *Tobiae* (4) contigerit? Nonne talis locutio ansam praebet suspicandi, quod aliquis impostor primum post eversionem *Hierosolymae* et templi *librum Tobiae* confinxerit? R. *Tobias* loc. cit. propheticè loquitur. Sicut enim praecedente capite 13 de *Hierusalem* felicitate et gloria praeclare vaticinatus est, ita morti proximus cap. 14 praedicat eversionem *Ninivae* ac *Hierusalem*, huiusque restaurationem et gloriam per vocationem gentium ad veram fidem. Iam vero prophetae saepe usurpant praeteritum pro futuro, quia tam certo futurum vident, ac si iam factum esset. Sic propheta *Isaias* (5), acsi Christi passio iam praeterisset, dicit: « Vidimus eum, et non erat aspectus... vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. » Dicendus igitur *Tobias* loc. cit. vaticinari, atque praeteritum pro futuro usurpare; quod graecus textus palam ostendit, qui ita habet: « *Hierusalem* erit deserta, et domus Dei in ea comburetur... Et iterum miserebitur eorum Deus... Et aedificabunt *Hierusalem* honorifice: et domus Dei in ea aedificabitur. » En! prophetiam.

27. QUÆRES IX. Quomodo idem *Tobias senior* (Tob. 14, v. 6) eversionem urbis *Ninive* praedicere potuerit his verbis: PROPE ERIT INTERITUS NINIVE: cum tamen ex historia certum sit, quod *Ninive* iam ante huius *Tobiae* tempora diruta fuerit? R. Non semel, sed iteratis vicibus (6) capta et vastata est *Ninive*.

v. *Tobias*) senior *Tobias* mortuus est anno m. 3563: Templum vero *Salom.* exustum est an. m. 5416. Vide *Tabulam* chronologicam generalem historiae biblicae, positam ad finem citati dictionarii biblici.

(5) *Isai.* c. 53, v. 2, etc.

(6) Vide *Cornel. a Lap.* aut *Calmet* comment. in Tob. c. 14, v. 6.

Nam primo capta est ab *Arbace* medorum praefecto, alque a *Beleso* babilonio, regnante in *Ninive* rege *Sardanapalo*, qui ita obsessus et in angustias redactus semet cum uxoribus suis, eunuchis, et opibus, ut omnes norunt, incendit. Hoc autem factum est anno m. 3257 (1), adeoque ante praedictum vaticinium senioris moribundi *Tobiae*, qui primum obiit an. m. 3363 (2). Sed praeterea capta et vastata est *Ninive* sub annum decimum tertium *Iosiae* regis *Iuda* an. m. 3378, adeoque post obitum *Tobiae*: et de hoc excidio cit. loc. loqui *Tobiam* censent s. *Hieronymus*, *Euseb.* et alii. Imo *Cornelius a Lap.* (3) contendit, *Niniven* adhuc serius, nimirum quinto anno post excidium *Hierosolymae* eversam esse.

28. QUÆRES X. Cur *Iosephus iudaeus* gesta *Tobiae*, si vera sunt, in sua historia de antiquitatibus iudaicis, aut alibi ne verbulo quidem attigerit? R. Silentium *Iosephi* de *Tobia* variis ex causis proficisci po-

tuit. Primo, quia defixus in referenda publica totius gentis iudaicae historia particularis illius familiae gesta et fata narrare supersedit. Secundo, quia libri huius historiam chaldaico sermone scriptam (4), nec in hebraicis iudaeorum scriptis, nec in canone esdrino reperit. Unde non mirum, quod de *Tobia* sileat, quandoquidem, et *Iobi* historiam utpote nationi iudaicae extraneam, et caedem infantum sub *Herode*, et nonnulla alia privatis ex studiis omisit. Praeterea est sanae critices regula: Si plures scriptores rem quandam referant, de qua alii ne verbo quidem disserunt, audiendus potius est is, qui refert, quam ille, qui rem silentio premit. Cum igitur *Tobiae* historiam auctor huius libri referat, et ss. patres eam ut historiam agnoscant, non est curandum silentium *Iosephi iudaei*; praesertim quia huius scriptoris omissiones et errata alia graves auctores (5) perstringunt.

## SECTIO II.

## DE LIBRO IUDITH

Auctor huius libri iuxta communioem sententiam fuit *Eliachim* (6), qui nonnunquam vocatur *Ioachim* (7), quique tanquam Sacerdos summus rebus hoc libro narratis non modo interfuit, sed et pene praefuit. Adde, quod hoc publicarum scriptionum historicarum munus teste *Iosepho* (8) sacerdotum

(1) Vide *Calmet* loc. cit.

(2) Vide *Calmet* dictionar. biblic. verbo: *Tobias*.

(3) Loc. cit. item comment. in *Nahum*, c. 2, v. 1.

(4) Vide s. *Hieronymi* epist. 100 ad *Chromat.* et *Heliodor.*

(5) Vide *Cornelii a Lap.* commentar. ad lib. *Regum*, et ibi inquire in indice

principibus demandari solitum fuerit. Porro tres in partes liber iste dividitur. Prima occasionem belli contra *Palaestinam* ab assyriis suscepti, altera obsidionem *Bethuliae* ab exercitu *Holofernis*, tertia urbis huius obsessae et *Palaestinae* liberationem per caedem *Holofernis* ab *Iuditha* illatam exponit.

verbo: *Iosephus*. Item consule *Natal. A. lex.* tom. 1 *Hist. eccl.* in 4 mundi aetatem, c. 6, et in tom. 2, in 5 mundi aetat. cap. 2, et in 6 mundi aetat. c. 2. Item *Calini* hist. bibl. in praefat. et alibi.

(6) *Iudith* c. 4, v. 5.

(7) *Iudith*, c. 13 v. 9; item vide *Calmet* dictionar. bibl. verbo: *Eliachim*.

(8) L. 1 in *Appionem*.

29. QUÆRES I. An liber *Iudith* sit vera historia? Antequam respondeam, observo quod iuxta *Lutherum* (1) et *Grotium*, quos sequuntur theologi Batavi (2), scriptores actorum lipsiensium (3), nec obscure *Bayle* (4), liber *Iudith* non contineat veram historiam, sed duntaxat parabolam aut fictionem allegoricam solandis afflictis iudaeis excogitam. Verum contrario omnino certum est, quod nimirum liber *Iudith* veram contineat historiam. Id enim probatur tum ex genealogia *Iudithae* (5), ex eius patria, marito, et tot aliis nominibus propriis haud obscure veram historiam iudicantibus, tum ex testimonio pp. *Clementis Alexandrini* (6), *Tertulliani* (7), *Ambrosii* (8), *Hieronymi*, qui (9) ad *Salvinam* esprese ait: *Ad priora te extendas habens tui ordinis, quas sequaris, Iudith de hebraea historia, et Annam filiam Phanuelis etc.* Reicienda itaque est illorum audax et mere arbitraria opinio, qui totum librum *Iudith* meram fabellam sive parabolam, qua sub fictis nominibus victoria ecclesiae iudaicae in hostes suos, ac potissimum in *Antiochum Epiphanem* celebraretur, autumarunt. Ita iuxta *Grotium* vidua *Iudith* designat gentem iudaicam omni auxilio destitutam; *Bethulia* templum Dei; *Iudithae gladius* preces sanctorum; *Nabuchodonosor* diabolus; *Assyria* eius fastum; *Holofernes* Antiochum, quasi lictorem serpentis stygii; *Ioachim*, sive *Eliachim*, Deum surrecturum in opem. Ast, ut dixi, haec expositio refutatur tum ex ipso libro *Iu-*

(1) Praefat. in lib. *Iudith*, ubi teste *Widenhofer* tom. 1 s. *Script. dogmat. ac polemic. explicat. de historia Iudithae* ait: *Ein Gedicht das man gespielt hat, wie man bey uns die Passion spielt.* — Latine: *Fabula quae tunc agebatur, ut apud nos Passio.*

(2) *Sentimens, etc.*, lettre 87.

*dith*, tum ex testimonio ss. patrum, atque ex sensu synagogae veteris et ecclesiae christianae, quarum utraque semper res gestas *Iudithae* pro vera habuit historia. Quamvis enim iudaei librum *Iudith* in canonem esdrinum non retulerint (10), tamen illum inter scripta sancta, veramque historiam continentia numerarunt. Apud hebraeos, inquit s. *Hieronymus* (11), *inter hagiographa legitur... inter historias computatur.* Porro contra *Grotium* illud quoque observare iuvat, quod allegorica nominum interpretatione veritas historiae nequaquam destruat. Certe multas s. Scripturae historias *Origenes* aliique patres atque interpretes tanto ingenio allegorice exposuerunt, ut res non tam verae quam ad allegoriam excogitatae videantur; quibus accedit, quod teste s. *Augustino* in testamento veteri tam nomina quam actiones et personae rationem typi et figurae sustineant, dicente apostolo: *Omnia in figura contingebant illis*: quin ideo veritas historica illarum rerum, actionum et personarum deficiat. Plura de somniis *Grotii* videre licet apud *Pridaeum* et *Montfauconium*, qui ea solide confutarunt. *At necessense est*, subiungit recte *Tourneminius* auctor celeberrimus, *tantum diligentiae in audaci adeo, et utriusque ecclesiae, iudaicae, inquam, et christianae traditioni contraria evertenda sententia ponere?* Non obstante igitur *Grotii* dissensione, liber *Iudith* manet vera historia.

30. NEQUE OBEST, quod auctores non conveniant circa tempus, quo

(5) Tom. 6, pag. 270.

(4) *Diction. art. Iudith.*

(3) *Iudith. cap. 7.*

(6) L. 4 *Stromat.*

(7) L. de monogamia c. 17.

(8) Lib. 5 de officiis c. 13. (9) *Epist. 9.*

(10) Vide supra n. 5.

(11) Praefat. in l. *Iudith.*

haec historia contigerit. Nam neque conveniunt circa tempus nativitatis et mortis Christi. An propterea Christum natum et mortuum negabimus? Ceterum verisimiliter est opinio illorum, qui historiam *Iudithae* et liberationem *Bethuliae* ante captivitatem babylonicam sub rege *Manasse* contigisse aiunt, ut infra (1) pluribus ostendemus.

31. SED DICIS: Nulla festi annui in memoriam *Iudithae* instituti (ut in libro *Iudith* cap. 16, v. 31 nartur) mentio fit in liturgicis hebraeorum libris. 2. In libro *Iudith* (cap. 16, v. 8 occurrit mentio fabulae de *Titanum filiis*: ergo liber *Iudith* non continet veram historiam, sed falsa et fabulas. R. AD PRIMUM: quamvis de hac festivitate (2) in monumentis hebraeorum recentiorum expressa mentio non fiat, ea tamen fit in monumentis hebraeorum antiquiorum. *Torniellus* (3) enim ex veteri iudaeorum calendario diem 25 mensis casleu seu novembris, huic festo assignatum docet. Suffragatur *Sigonius* (4), qui edidit calendarium iudaicum, ubi festivitas *Iudith* pariter affigitur diei 25 mensis casleu, qua die etiam incidit festivitas ignis novi, vel templi a *Iuda Machabaeo* instaurati: qua nova laetitia praevalente, mirum non est, si antiquioris victoriae manu *Iudithae* obtentae memoria apud recentiores intereiderit. Vide *Serarium* (5). Potuit nimirum, quod saepe fit et in ecclesia non semel factum est, memoria huius festi humana tantum auctoritate instituti iterum abrogari; aut distin-

cta eius expressio negligi, quod plures huius diei festi causae essent. Certe *Iosephi* (6) aevo celebrabatur adhuc festum ob victoriam *Iudae* contra *Nichanorem*; sed iam pridem solemnitas haec apud iudaeos recentiores obsoleta fuit. Praeterea babylonica captivitas violenter adeo iudaeorum rempublicam concussit, ut mirum non sit, si diuturno hoc exilio plures eorum festivitates, ac veteres solemnitates interciderunt, exceptis iis, quae lege divina erant praeceptae. Plura hac de re disserit *Calmet* (7).

AD SECUNDUM. R. Voces eiusmodi a fabulis desumptae, v. g. *fili Titanum*, aut similes in s. Scriptura occurrentes, in adventitiis habendae sunt, quae ab interpretibus prodierint. Sic interpres latinus nomine magis noto et emphatico usus est: *Nec filii Titan percusserunt eum*, pro illo: non gigantes, nec vastae molis homines percusserunt eum. Observat enim s. *Hieronymus* (8). Interpretes tam septuaginta, quam nostrum latinum subinde hebraea nomina vocabulis fabularum gentilium graecorum et latinorum in linguam graecam et latinam transferre, non quasi fabulas narrent, aut probent; sed quia non bene, nec plene intelligimus id, quod dicitur, nisi per ea vocabula, quae usu didicimus, et quasi cum lacte combibimus, ut ait *Hieronymus* loc. cit., atque ea de causa quoque in librum *Iob* maiori licentia graecae originis nomina *Pleiadum, Hyadum, Arcturi*, in librum *Proverbiorum* cap. 26, v. 8 *acervus Mercurii* inserta sunt.

(3) Ad annum 2535, num. 55.

(4) De rep. lud. l. 3, c. 17.

(5) Hic q. 9, p. 2 de iis, quae post mortem *Iudith* contigerunt.

(6) L. 12 antiq. c. 16.

(7) *Comment. in Iudith. c. 16, v. 31.*

(8) *Comment. in Amos, c. 5, v. 8.*

(1) Num. 55-58.

(2) De hac festivitate in libro *Iudith*, c. 16, v. 54, dicitur: *Dies autem victoriae huius festivitatis ab hebraeis in numero sanctorum dierum accipitur, et colitur a iudaeis ex illo tempore usque in praesentem diem.*

32. SCHOLION. Si eruditus lector synopsis seu compendium historiae libri *Iudith* desiderat, eam *Hermannus Goldhagen* (1) suppeditat his verbis: « Assyriorum rex *Nabuchodonosor* bello adversus regem medorum *Arphaxad* implicitus, auxilia ab omnibus passim asiaticis gentibus ad Aegyptum usque petiit: his frustratus cum *Arphaxadum* nihilominus bello superasset, *Holofernem* ingenti cum exercitu adversus gentes auxilia negantes ire iussit, qui plerisque aliis sub iugum missis israelitas ad vim repellendam paratos offendit. Prae caeteris bethulienses a summo pontifice *Ioachimo* commoniti aditum assyrii obstruere, indeque ad se impetum hostium derivarunt; *Holofernes* enim, spreto *Achioris* principis ammonitarum consilio de armis a populo hebraeorum ope divina suffulto abstinendis, *Bethuliam* obsidione cinxit, ipsumque *Achiorem* obsessa in urbe conclusit. Arctis in urbe rebus ob occupatas ab assyriis aquas cum iam nimia siti periclitaretur populus, et principes civitatem tradituri essent, nisi quinque dierum intervallo suppetiae ferrentur, una *Iudith* altiori instinctu acta, improbens principum diffidentiam ad avertendam patriae calamitatem sese accinxit, depositoque viduitatis vestitu, instar sponsae seipsam ornavit, et multis adhortata primores civitatis, ne eam, quod statuissent, post quinque dies traderent, ad *Holofernem*, divino confisa praesidio egressa est, et tertia post exitum die sua illum sapientia decepit, altoque sopore mersum clam assyriis capite truncavit. Quod factum cum *Iudith* bethuliensibus nuntiasset, et assyrii comperissent, hi foedam protinus in fugam effusi sunt;

(1) *Introduct. in s. Script. pag. 2, sect. 2, n. 96.*

israelitae autem undequaque concurrentes fugientibus cladem maximam intulerunt. Itaque liberati, direptis hostium spoliis, victrici *Iudithae*, quaecumque *Holofernis* erant, consignarunt; ipsa vero Hierosolymam profecta, omnia obtulit Domino, indeque domum reversa pietatis exercitiis se totam impendit in viduitatis proposito ad mortem usque perseverans, quam demum generosi facinoris gloria et virtutum laude nunquam non celebratissima anno aetatis quinto supra centesimum pie obiit. »

33. QUÆRES II. *An historia Iudithae ante vel post captivitatem babyloniam, aut quo tempore contigerit?* Antequam respondeam, observo, quod teste *Bellarmino* (2) adversus librum *Iudith* difficillima quaedam obiectio formetur quaerendo qua aetate haec historia contigerit? Nam videtur ea omnino conficta; cum (*Iudith* 5, v. 23) dicatur, contigisse post reversionem populi a babylonica captivitate; et tamen statim ab initio (*Iudith* 1, v. 1 et 5) dicatur eo tempore *Nabuchodonosor* rex assyriorum pugnasse contra *Arphaxad* regem medorum, qui aedificaverat *Ecbatana*; quae nullo modo videntur cohaerere. Nam quo tempore populus rediit a captivitate, eversa erat monarchia assyriorum, et non *Nabuchodonosor*, sed *Cyrus*, vel *Darius* assyriis, et persis ac medis imperabat.

Haec summa difficultas miro modo exercuit ingenia eruditorum. Duae sunt autem sententiae principales. UNA eorum, qui volunt historiam *Iudith* contigisse POST CAPTIVITATEM BABYLONICAM, quorum aliqui referunt eam ad tempora *Cambysis*, quem esse volunt *Nabuchodonosor*, ut *Eusebius* in *chron.*,

(2) *Lib. 1 de Verbo Dei, c. 12.*

*Augustinus* (1), *Beda* (2), *Lyranus* (3), *Ioannes Driedo* (4). Aliique referunt ad tempora *Darii Hytaspis*, ut *Gerardus Mercator* in sua chronologia, et alii nonnulli. *Severus Sulpitius* (5) ad regnum *Artaxerxis Ochi* eam pertinere existimavit.

ALTERA sententia est aliorum, qui docent historiam *Iudith* contigisse ANTE CAPTIVITATEM BABYLONICAM. Sed horum aliqui eam referunt ad tempora regis *Sedeciae*, ut *Gilbertus Genebrardus* (6): aliqui ad tempora regis *Iosiae*, ut *Ioannes Benedictus* (7). Sed nulla harum sententiarum hactenus pro utralibet opinione recensitarum videtur satis probabilis, et singulae a *Bellarmino* loc. cit. refutantur.

Nobis igitur cum *Bellarmino* (8), *Hermanno Goldhagen* (9), et pluribus aliis dicendum videtur, historiam *Iudith* incidisse in tempora *Manassis* regis Iuda, adeoque ante captivitatem babyloniam contigisse, prout laudati auctores ex variis signis, e quibus cognosci potest, quo tempore illa historia contigerit, evincere conantur. Nos solum expendamus

#### ARGUMENTA CONTRARIA.

34. ARGUM. I. Si tempore regis *Manassis* contigit haec historia, quare in praeparatione ad repellendum hostilem exercitum *Holofernis* nulla fit mentio illius regis? Cur negotium hoc totum in libro *Iudith* tribuitur magno sacerdoti *Eliachim*, de quo dicitur (10), quod *circuierit omnem Israël*, et adhor-

(1) *Lib. 18 de civit. Dei, c. 26.*

(2) *In lib. de sex aetatibus.*

(3) *In 1 cap. lib. Iudith.*

(4) *De ecclesiasticis scripturis et dogmatibus, lib. 1, c. 2, part. 2, et lib. 5, c. 5, part. 5.*

(5) *Lib. 2 sacrae historiae.*

(6) *Lib. 2 chronologiae.*

tatione sua israelitas adversus *Holofernem* animarit? Et dico cum *Bellarmino* (11), fortasse hoc bellum incidisse in tempus ipsius captivitatis *Manassis*, et idcirco, rege absente et etiamnum Babylone captivo, per pontificem *Eliachim* negotia regni procurata fuisse; fortassis etiam regis mentio facta non est, quia non accessit bellum ad ipsam urbem Hierusalem, ubi rex erat, sed infestavit *Bethuliam* urbem in tribu *Simeon*, teste *Calmeto* (12), sitam. Ceterum, quod in libro *Iudith* habetur, sacerdotem *Eliachim circumvisse omnem Israël*, ut eos ad constantiam hortaretur, non est mirandum. Nam etiam tempore *Ezechiae* regis Iuda, quamvis nondum esset summus sacerdos, nomine regis multa faciebat, ut patet ex l. IV. Reg. cap. 18, v. 18, 26 et 37. Et *Isaias* praedixerat c. 22, v. 21 fore, ut *Eliachim* esset quasi pater omnium habitantium Hierusalem. Ac tum praecipue credibile est, summa negotia et periculosa tractata esse per summum sacerdotem, quando rex de captivitate reversus, et ad Deum serio conversus erat. Nam etsi non sit improbabile, adhuc rege captivo obsidionem et liberationem *Bethuliae* contigisse, probabilius tamen *Bellarmino* videtur, eo iam reverso id gestum esse.

35. ARGUM. II. Aevo regis *Manassis* nullus modo in catalogo summorum pontificum apud *Iosephum* occurrit *Eliachim*: ergo historia *Iudith* non contigit tempore regis *Manassis*. Et. Satis est, summum

(7) *In annotationibus marginalibus ad 4 c. lib. Iudith.*

(8) *Loc. cit.*

(9) *Introduct. in s. Scriptur. p. 2, sect. 2, n. 102-105.*

(10) *Iudith c. 4, v. 11.*

(11) *Loc. cit.*

(12) *In dictionario bibl. v. Bethulia.*

*Eliachim* sacerdotium luculenter indicari IV Reg. cap. 18 et Isaiae cap. 22 praecedente num. citatis. Successit autem *Eliachim Lobnae*, qui sub *Ezechia* pontificatum gessit; praecessit vero *Helciam*, qui eundem sub *Iosia* administravit: catalogum igitur *Iosephi* exactum esse negamus: quippe qui plures omittit pontifices in s. Scriptura commemoratos, ut *Amasiam* regnante *Iosaphat*; *Ioiadam* regnante *Ioas*; *Azariam* regnante *Ozia*. Accedit, quod *Iosephus* etiam alios errores in sua historia habeat, ut iam alibi (1) observavimus. Non repugnat tamen, *Eliachim* pluribus fuisse nominibus appellatum, indeque sub alio ab *Iosepho* nomine recensitum; revera enim assignati illis temporibus pontifices duplici sunt nomine in tabulis affecti, v. g. *Achilob* dictus *Usias*; *Meraioth* dictus *Nereia*; *Sadoch* dictus *Osaias*.

36. ARGUM. III. Tempore regis *Manassis* urbem *Bethuliam*, quae in una ex decem tribubus, nimirum in tribu *Simeon* sita erat, incolere debuissent *cuthaei* et *babylonii*, non vero *israëlitae* iam prius a *Salmanasare* in assyrios captivi abducti. R. Nego assertum. Etsi enim *israëlitae* ex urbibus Samariae vicinis captivi fuerint abducti, non continuo sequitur, eadem calamitate omnes quoque alias civitates etiam remotiores, ac praesertim montanas, qualis *Bethulia* fuit, fuisse comprehensas: in has certe poterant se *israëlitae* recipere facilius; in has prae caeteris ex dispersione remeare, et nonnulli cum *cuthaeis* unam in civitatem coalescere.

(1) Vide supra num. 28, q. 40.

(2) *Iudith*, c. 5, v. 19.

(3) IV. Reg. c. 25.

(4) Loc. cit. ubi idem auctor suspicatur, quod fortasse ista additio graeci textus in causa fuerit, cur tot gravissimi

37. ARGUM. IV. eo tempore, quo historia *Iudith* contigit, templum hierosolymitanum iam erat destructum. Nam *Achior* dux ammonitarum (2) ad *Holofernem* de populo *israëlitarum* inter alia dixit iuxta textum graecum: *Et captivi ducti sunt in terram non propriam, et templum Dei eorum factum est in pavementum*, h. e. eversum, solo aequatum est: sed hoc non est factum tempore regis *Manassis*, sed postea sub rege *Sedecia*, dum is a *Nabuchodonosore*, expugnata Hierosolima (3), effosis oculis in captivitatem *babylonicam* cum reliquo populo *iudaico* abstractus est: ergo historia *Iudith* non sub rege *Manasse* contigit. R. Hoc additamentum graecae versionis καὶ ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ αὐτῶν ἐκείνην εἰς ἔδαφος et *templum Dei eorum factum est in pavementum* videtur *Bellarmino* (4) esse supposititium, cum s. *Hieronymus*, qui fidelissime transtulit librum *Iudith* ex *chaldaeo* sermone in latinum, sua in versione de templo destructo nihil commemoret: etenim si graecam versionem recte examines, aliud in ea non asseri intelliges, ac templum *pedibus obtritum*, quod versio *siriaca* exprimit, et profanatum fuisse. Quis autem ignorat, non una vice templum (quantumvis persistens et non eversum) *Hierosolymae* etiam ante *Manassis* aevum fuisse profanatum; atque a *Manasse* ipso foeda idololatria contaminatum? Et proum est conicere, loci sanctitatem turpissimis tum actionibus deformatam fuisse.

At INQUIES: In ipsa versione latina s. *Hieronymi* bellum hoc *Holo-*

auctores, *Eusebius*, *Augustinus*, *Sulpitius*, *Beda*, in historia *Iudithae* suo tempore collocanda decepti fuerint, eamque primum post captivitatem *babylonicam* contigisse autumaverint, ut supra n. 35 observavimus.

*fernis* contra *iudaeos* gestum esse dicitur paulo post reditum eorum ex captivitate *babylonica*. Sic enim ibidem (1) legimus: « Nam et ante hos annos, cum (*hebraei*) recessissent a via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt praeliis a multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, et ascenderunt montana haec omnia, et iterum possident Hierusalem ubi sunt sancta sanctorum. R. Cum *Bellarmino* (2) non esse intelligendum hunc locum de captivitate *babylonica*, sed de variis afflictionibus *hebraeorum* praecedentibus. Nam si sermo esset de *babylonica* captivitate, non dicerentur ii exterminati a multis nationibus, sed ab una, id est, *chaldaeorum*: nec dicerentur plurimi abducti captivi, sed omnes; fuit enim generalis captivitas *babylonica*; paucissimi enim remanserunt relictis a *Nabuchodonosore*, et illi ipsi paulo post fugerunt in *Aegyptum* (3). Ita dispersio ac desolatio plenissima fuit. Igitur Scriptura non loquitur de captivitate *babylonica*, sed de variis afflictionibus populi *iudaici*, quas variis temporibus a variis nationibus passus est, et praecipue de illa ultima, quae acciderat, cum caperetur *Manasses*; tunc enim tota regio devastata fuit, et rex ipse cum aliis multis captus, et ductus in *Babylonem*; et multi etiam dispersi, fugatique in varia loca. Quod autem additur: *Nuper au-*

(1) *Iudith* c. 5, v. 22 et 25.

(2) Loc. cit.

(3) IV. Reg. c. 25, v. 26.

(4) Inter hos unus ex praecipuis est *Didacus de s. Antonio* Enchirid. Script. tom. 1. Vide etiam proleg. *Serarii* in lib. *Iudith*. *Bernard de Montfaucon* de verit. histor. *Iudith*, et *Calmeti* praefat. in

*tem reversi... ex dispersione... adunati sunt, etc.*, vel intelligitur de reversione regis *Manassis* cum suis ex *Babylone*, vel (si absente rege gestum est hoc bellum adversus *Holofernem*) intelligi poterit de reversione ex iis locis, ad quae fugiendo pervenerant, cum rex *Assyriae* vastaret regionem ipsorum.

38. SCHOLION I. Sunt equidem adhuc alia adversariorum argumenta, quibus assertionem nostram de tempore, quo historia *Iudithae* contigit, impugnant. Verum, quia haec vel in sequentibus quaestionibus a nobis discutientur, vel apud alios auctores (4) diligenter et copiose examinata solutaque legi possunt, nobis animus non est, chronologicis hisce rebus inter ipsos catholicos auctores controversis diutius immorari.

SCHOLION II. Etiam si tempus, quo historia *Iudithae* contigit, exacte determinari non posset; inde non statim inferendum, hanc historiam non esse veram, ut iam alibi (5) monuimus. Certe in historiis etiam profanis, e. g. romanorum aut aliarum gentium, multa sunt dubia, obscura, vel controversa quoad adiuncta temporis, loci etc., quo res gestae sunt, quin ideo hae historiae dicendae sint confictae: sed potius eiusmodi difficultates ex ea, in qua versamur veteris historiae omnium gentium ignoracione, derivantur. Et profecto si annales regum *Iuda* et *Israël* saepius in Scriptura (6) laudati suppeterent, quantum ex illis lucis ignorantiae nostrae affulgeret? Si veteres commentarii gentis *iu-*

lib. *Iudith*. Item eiusdem dictionarium bibl. v. *Iudith*. Illud quoque silentio non praetereundum censeo, *Alphonsum Nicolai* recentissimum in librum *Iudith* commentarium cum doctissimis dissertationibus italice evulgavisse.

(3) Vide supra n. 50.

(6) Vide III. Reg. c. 14, v. 19 et 29.

daicae, quibus gestorum omnium maioris momenti apud illos memoria ad posterum transmittetur, non interciderent; quot agitatae modo controversiae sopirentur, quot depellerentur obscura, fortassis etiam quoad librum *Iudith*?

SCHOLION III. Ss. patres eadem, quae nos, in libro *Iudith* legerunt; habuerant prae manibus, quae nobis desunt, historias profanas; maiori etiam in vetere historia et geographia valebant eruditione, ac nos; et tamen magnum illum antilogiarum a protestantibus aliisque adversariis obiectarum numerum in libro *Iudith* non animadverterunt. Quid autem inde concludas, nisi citra ius fasque, imo contra omnes sanae criticae regulas postulari, praeoccupatis ut hominibus, iudicibusque studio partium abreptis, et necessario ad ferendam sententiam subsidio destitutis plus deferamus, quam ss. patribus, id est, viris et pietate et doctrina praestantibus, qui et aetate illis temporibus propinquiores, et monumentis, ex quibus veritas historiae *Iudith* desumi poterat, instructiores fuerant? Ceterum, quamvis nullum ex patribus habeamus, qui librum *Iudith* commentariis illustrarit; non tamen desunt cum patres, tum alii scriptores ecclesiastici, qui eiusdem libri tanquam canonici mentionem faciant: nempe *Origenes*, *Hilarius*, *Pictaviensis*, *Gregorius M.*, alique infra (1) adducendi. Praeterea non pauci sunt, qui *Iuditham* ipsam laudibus celebrarunt; quemadmodum fecere s. *Ambrosius* (2), s. *Hie-*

(1) Num. 50, q. 4.

(2) L. de viduis, prope medium.

(3) In epist. ad Furiam et Eustochium.

(4) Homil. 9 ex variis super Matthaicum.

(5) Epist. 2 ad Gallam.

(6) Vide supra n. 28, q. 10.

(7) Vide supra n. 4 et 5.

*ronymus* (3), s. *Chrysostomus* (4), s. *Fulgentius* (5), pluresque alii, qui proin omnes sibi persuasum habebant, *Iuditham* reapse extitisse, librumque eius nomine inscriptum non fabulam, sed veram historiam continere.

39. QUÆRES III. *Cur Iosephus iudaeus de historia Iudithae altum sileat in suis libris?* R. Rationes sunt ferme eadem, ob quas idem *Iosephus* de gestis *Tobiae* tacuit (6). Nimirum haud mirandum, quod hic auctor hebraeus de historia *Iudith* sileat, cum non nisi historias esdrino canone contentas recitare soleat: liber vero *Iudith* in hoc canone (7) contentus non fuerit. Dein *Iosephus* fortassis alio in libro, quem de *assyriorum* et *medorum* rebus promisit (8), nos autem ad manum non habemus, de historia *Iudithae* simul et *Tobiae* vel egit, vel agere constituit. Denique idem *Iosephus*, ut pariter alibi (9) iam observavimus, etiam *Iobi* historiam et infantium sub *Herode* caedem, aliaque praetermisit, quamvis haec certo gesta sint: ergo a pari ex eo, quod *Tobiae* et *Iudithae* historiam praetermiserit, non sequitur, has non esse veras historias.

40. QUÆRES IV. *An liber Iudith sit canonicus?* R. Est vere canonicus etsi deuterocanonicus (10). Haec assertio supra (11) iam abunde probata est: ulterius tamen ex eo CONFIRMATUR I. Quia teste s. *Hieronymo* (12) hunc librum synodus nicaena (loquitur de synodo nicaena I. omnium synodorum generalium prima et celeberrima) in numero san-

(8) L. 10 antiq. Iud. c. 5.

(9) Vide supra n. 28, q. 10.

(10) Quid et quot sint libri deuterocanonici, supra n. 4 explicavimus.

(11) N. 4-5.

(12) Praefatione in lib. *Iudith*, quae mihi in t. 5 operum s. *Hieronymi* epist. 114, extat.

*ctarum Scripturarum legitur computasse.*

CONFIRM. II. Ex aliis patribus et scriptoribus ecclesiasticis, qui libri *Iudith* tanquam canonici mentionem fecerunt: nempe *Origenes* (1) dicens: *Volo exemplum dare a Scriptura etc.*, et immediate affert exemplum *Iudith*. Item *Hilarius* Pictav. (2), *Isidorus* hispal. (3), *Ildephonsus* (4), *Rabanus* Maurus (5), usque ad saeculum IX quos plures alii usque ad saeculum XVII excipiunt in tabella 2. *Tournemini*, ut adeo continuata a primis ecclesiae saeculis usque ad nostrum aevum traditione gaudeant catholici. Adde plures patres, qui in *Iudithae* laudes excurrerunt, quosque iam supra (6) citavimus. Verum audiamus et refutemus

ARGUMENTA CONTRARIA  
ADVERSARIORUM

41. ARGUMENTUM I. Ex s. *Hieronymi* testimonio (praefat. in l. *Iudith*) nihil probatur pro divinitate seu θεοπνευστία libri *Iudith*; quia ibi aliorum duntaxat opinionem refert, uti indicat τὸ legitur: alibi autem sua ex sententia loquens (7) expresse ait: *Sicut ergo Iudith, et Tobiae, et Machabaeorum libros legit quidem ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit: sic et haec duo volumina (II. Ecclesiastici, et Sapientiae) legat ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* R. Si verba s. *Hieronymi* tum locis citatis, tum alibi extantia rite expendantur, sensus a mente adversariorum longe diver-

(1) Homil. 49 in Ieremiam.

(2) In psalm. 125 et proleg. in psal.

(3) Origin. l. 6, c. 4 et 2 prooem. de lib. V. ac N. Testam.

(4) L. adnot. de cog. bapt. c. 79.

(5) De univ. l. 5 in comm. et l. 1 de inst. cleric. c. 55.

sus eruitur. Nam praefatione in l. *Iudith* laudatus s. Pater ita loquitur: « Apud hebraeos liber *Iudith* inter hagiographa legitur: cuius auctoritas ad roboranda illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur. Chaldaeo tamen sermone conscriptus, inter historias computatur. Sed quia hunc librum synodus nicaena in numero sanctorum Scripturarum legitur computasse: acquivi postulationi vestrae... et sepositis occupationibus, quibus vehementer artabar, huic unam lucubratiunculam dedi (*vertendo hunc librum ex chaldaeo sermone in latinum*), magis sensum e sensu, quam ex verbo verbum transferens. » His igitur verbis s. *Hieronymus* affirmat, apud hebraeos librum *Iudith* numerari in sanctis libris, qui tamen (scilicet ex eorum mente) non sint idonei ad dogmata fidei comprobanda; deinde vero huic hebraeorum sententiae opponit nicaenae synodi auctoritatem. Itaque, ut *Belarminus* (8) recte concludit, teste *Hieronymo*, nicaena synodus librum *Iudith* ita retulit in numerum sanctorum librorum, ut eum idoneum censuerit ad fidei dogmata confirmanda.

42. DICES I. Testimonium s. *Hieronymi* de synodo nicaena modo allegatum nusquam ab aliis patribus confirmatur: ergo parum probat. R. Patres concilio nicaeno posteriores, quod in eo factum erat, non cogebantur asserere. Non pauci fortassis singulorum, quae ibidem gesta fuerant, ignoratione tenebantur, ea etiam de causa, quia nicaeni

(6) Num. 58 scholion 3.

(7) Praefat. in Proverbia, Ecclesiasten, et Canticum Canticorum Salomonis, quae mihi in tom. 3 operum s. *Hieronymi*, ep. 115, extat.

(8) L. 1 de Verbo Dei, c. 12.

canones mutuli non integri ad posteros pervenere, et, ut *Baronius* in loco a nobis mox citando ait, *nicaenos canones aliquod passos esse naufragium, tabulae, quae hinc inde dispersae reperiuntur, manifeste significant.* Fortassis etiam, ut *Baronius* (1) suspicatur, non fuit canon de libris sacris a nicaena synodo statutus, neque ex canone de libris sacris confecto id asseruit *s. Hieronymus*, sed potius ex actis huius synodi in quibus liber *Tobiae* obiter citatus fuerit tanquam divinus. Quare iterum haud mirandum, quod alii patres tenuis huiusce citationis non meminerint. Nemo tamen, quod narravit *Hieronymus*, vocavit in dubium, aut falsitatis coarguit: satis itaque ad fidem faciendam est, idem a *s. Hieronymo* disertis verbis affirmari.

DICES II. Nullibi in concilio nicaeni actis liber *Iudith* legitur aut citatur tanquam divinus, aut canonicus (II) nec *Hieronymus* dicit, ubi legatur, sed tantum asserit: synodus nicaena librum hunc in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, quod legi etiam potuit in auctore exiguae auctoritatis (III). Denique *s. Hieronymus* hoc loco non ex mente sua loquitur, neque asseverat, quod ipsemet id legerit, sed tantum ait: *legitur*, nempe in scriptis unius aut alterius auctoris. R. AD PRIMUM. Dist. Nullibi in concilio nic. actis recentioribus id legitur, conc.; nec legabatur in antiquis, quae *Hieronymus* vidit, neg. Contrarium enim restat adversariis probandum. Nec credibile est, *Hieronymum* (praefat. in l. *Iudith*) hebraeis opponere voluisse canonem aut assertionem nic. synodi dubiam, aut talem, quam tantum legisset apud aucto-

(1) Tom. 3 annal. ecclesiast. ad annum Christi 323, n. marginal. 457 et 458.

rem exiguae auctoritatis. Nec dicit, se *audivisse* tantum rumore hominum; sed simpliciter asseverat: *legitur*. Quo modo loquendi satis inuit, se *legisse*, eo nempe in libro, cuius auctoritatem merito opponere et praepone potuerit hebraeis, hoc est, in actis concilii nicaeni, quod allegat ipse. Ex his etiam patet responsio AD 2. et 3. Prorsus enim gratis fingitur, quod *s. Hieronymus* loc. cit. hac voce *legitur* absolute prolata indicare voluerit, quod id solum legatur in auctore uno, aut aliquibus exiguae auctoritatis.

DICES III. *s. Hieronymus* loc. cit. duntaxat ait, quod synodus nicaena librum *Iudith* legatur computasse in numero sanctarum Scripturarum: sed aliud est librum aliquem canonicum definire, aliud eum inter libros sacros computare, quod etiam convenit libro 3 et 4 Esdrae et aliis, qui s. Bibliis in calce subnexi sunt (II). Si synodus nicaena librum *Iudith* esse proprie canonicum decrevit, quare non eodem hoc decreto ceteros quoque libros controversos *Tobiae, Ecclesiastici, Sapientiae etc.*, complexa est? Nonne approbando librum *Iudith* alios gravi eorum praepudicio exclusisset? R. AD PRIMUM. Hoc ipso, quia *s. Hieronymus* loc. cit. postquam dixerat, librum *Iudith* apud hebraeos solum inter hagiographa legi, huic hebraeorum sententiae opponit auctoritatem synodi nicaenae eundem librum *computantis*, h. e. numerantis in numero sanctarum Scripturarum, plus asserit, nempe quod nicaena synodus dictum librum non tantum hagiographis, sed libris canonicis annumeraverit. Hinc nulla est paritas inter librum *Iudith*, et librum 3 et 4 Esdrae, qui duo ultimi non sunt canonici, sed apocryphi. R. AD 2

et dico, perperam inferri, libros caeteros deuterocanonicos ita per synodum nicaenam a canone excludi: non enim a *s. Hieronymo* asseritur, certum sacrarum librorum canonem a patribus nicaenis fuisse conceptum, in quo solus liber *Iudith* e deuterocanonicis locum habuisset: sed generatim tradit, eundem in synodo illa legi in numero sacrarum Scripturarum computatum; id quod variis modis et locis (1) per peculiarem huius libri mentionem fieri poterat. Omnibus itaque consideratis alterutrum necesse est: aut protestantes librum *Iudith* ut divinum seu ut partem s. Scripturae agnoscant, aut universae ecclesiae in primum generale concilium saeculo iv congregatae adversentur.

43. ARGUM. II. *s. Hieronymus* praefat. in ll. Salomonis, ut iam supra (2) in argumento I. indicatum est, expresse ait: *Iudith et Tobiae, et Machabaeorum libros legit quidem ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit*: ergo vel sibi contradicit, vel in altero loco (nempe praefat. in l. *Iudith*) dum ait, *librum Iudith a synodo nicae-*

(1) Vide *Baronium* loc. cit. ubi hic auctor ita ait: « Quis neget, imo quis auctoritate *s. Hieronymi* non assermet, atque tuto confirmet, in eadem magna synodo (nicaena) de divinis Scripturis authenticis editum esse canonem?... Nemo igitur inficias ire poterit, eiusmodi canonem, quo libri canonici (in synodo hac) numerati erant, nescio quo casu, penitus excidisse. At haec quantumlibet dici posse videantur; tamen considerando quod qui post concilium nicaenum scripti reperiuntur canones sacrarum librorum catalogum continentes, ut a concilio laodiceno, sive a patribus, ut *Athanasio, Gregorio Nazianzeno, Amphiloquio*, vel aliis, in illis liber *Iudith* inter hagiographa (seu libros sacros) non numeretur; haud affirmandum omnino existimarem, canonem de libris sacris statutum esse a nicaeno concilio, a quo neminem ausum

na in numero sanctarum Scripturarum legi, sensus non est, quod synodus nicaena hunc librum inter canonicas Scripturas receperit, aut canonicum esse agnoverit. R. Vel cum *Hermanno Goldhagen* (3) dicendum, quod *s. Hieronymus* praefat. in librum *Iudith* tacite retractaverit, quae praef. in ll. Salomonis hebraeorum sententiae insistens ante scripserat, vel cum *Xaverio Widenhofer* (4), quod dictus s. pater, dum ait, quod ecclesia librum *Iudith* inter canonicas Scripturas non recipiat, loquatur de tempore ante synodum nicaenam. Ceterum transmitti potest, quod ipse *s. Hieronymus* ante perceptam synodi nicaenae sententiam in contraria de libro *Iudith* opinione fuerit; postea tamen hunc librum certo canonicum habuit, ut ex ipsius praefatione in eundem librum supra (5) luculenter ostensum est.

At INQUIES: in hac ipsa praefatione *s. Hieronymus* de libro *Iudith* ait: *Cuius auctoritas ad robora illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur.* Sed si hic liber esset canonicus, non esset minus idoneus ad robo-

fuisse recedere, iure debet existimari. Sed non ex canone de sacris libris confecto id asseruisse *s. Hieronymum*, verum potius ex actis eius, in quibus obiter citatus idem liber inventus fuerit. Nisi dixerimus, quod librum quem apud occidentales in canone sacrarum librorum invenit cum aliis hagiographis annumeratum, existimaverit ex nicaeni concilii fonte manasse. » Ecce non uno modo verba illa *s. Hieronymi* dicentis librum *Iudith* a synodo nicaena in numero sanctarum Scripturarum legi, explicari possunt, uti *Baronius* censet.

(2) Num. 41.

(3) *Introduct. in s. Script. p. 2, sect. 2, n. 99.*

(4) Tom. 1 s. *Script. dogmatic. et polemic. explicat. pag. 959.*

(5) Num. 40-43.